familia constitutis, actiones [1] hereditarias denegari non ambigitur. Unde consulte ac pro juris ratione collationem fratribus tuis quos in patris communis mortis tempore fuisse potestate proponis, offeres. Cum autem fratres tui durantes in familia patris, peculium [2] (si hoc neque castrense [3], neque relictum [4] eis doceatur) præcipuum habere non possint, sed in divisionem paternæ veniat hereditatis, nec quicquam mutet, penes quem res ex hoc proficiscentes, & in eadem causa durantes, constitutæ reperiantur, absoluti manifestique juris est. Dat. 11. Kal. Febr. *Sirmii*, CC. CONSS.

De quæsitis post vel ante mortem patris.

13. Iidem AA. & CC. Antistiæ.

SI donatione tibi post [5] mortem patris fundum quæsisti, soror [tua] portionem ejus vindicare non potest. Nam si is filiæfamilias constitutæ [6] tibi a patre donatus est: cum sorore patri communi succedens [7], eum præcipuum [8] habere contra jura postulas. Dat. 6. Id. Februar. *Sirmii*, iisdemque CC. CONSS.

De hereditibus.

14. Iidem AA. & CC. Stratonicæ.

SI maritus quondam [tuus] ab intestato patri suo heres [9] extitit, & ei posthumus [10] a te editus successit, actiones hereditarias amitæ [11] filii vestri, quas habuit patris sui mortis tempore, dotem non conferenti, denegare Præses non dubitabit. PP. 7. Kal. Mart. *Trimontii*, TUSCO & ANULINO CONSS. 295.

De emancipatis.

15. Iidem AA. & CC. Philippo.

NEc [12] emancipati [13] post mortem communis patris quæsita conferre coguntur: sed hæc retinentes, ejus bona pro hereditaria dividunt portione. Datum Idib. Decemb. ipsis CC. CONSS. 297.

De codicillis.

16. Iidem AA. & CC. Socrati.

FIlium cum fratribus suis coheredibus intestato patri succedentem, ultra [14] relictum codicillis [15] non conferentem dotem, judicio familiæ ercisciundæ nihil posse consequi, summa cum ratione placuit. Dat. 5. Kal. Januar. ipsis CC. CONSS. 297.

De dote & ante nuptias donatione.

17. Imp. LEO A. Erythrio P. P.

UT liberis, tam masculini quam fœminini sexus, sive sui juris [16], sive in potestate constitutis, quocunque jure intestatæ successionis, id est, aut testamento penitus non condito, aut si factum fuerit contra tabulas bonorum possessione petita, vel inofficiosi querela [17] mota rescisso, æqua [18] lance pariquemodo prospici possit, hoc etiam æquitatis studio præsenti legi credidimus inferendum, ut [19] in dividendis rebus ab intestato [20] defunctorum parentum, tam dos [21], quam ante nuptias donatio [22] conferatur, quam [23] pater, vel mater, avus, vel avia, proavus, vel proavia, paternus, vel maternus dederit, vel promiserit pro filio, vel filia, nepote, vel nepte, pronepote, vel pronepte, nulla [24] discretione intercedente, utrum in ipsas sponsas pro liberis suis memorati parentes donationem contulerint, an in ipsos sponsos earum, ut per eos [25] eadem in sponsas donatio celebretur: ut in dividendis rebus ab intestato [defuncti] parentis, cujus [26] de hereditate agitur, eadem dos, vel ante nuptias donatio ex substantia ejus profecta conferatur: emancipatis [27] videlicet liberis utriusque sexus, pro [28] tenore præcedentium legum [ea] quæ in ipsa emancipatione [a parentibus suis] (ut adsolet [29] fieri) consequuntur, vel post [30] emancipationem ab eisdem parentibus acquisierint, collaturis. Dat. 5. Kal. Mart. BUSÆO & JOANNE CONSS. 467.

De emancipatis, vel alio modo sui juris effectis.

18. Imp. ANASTASIUS A. Constantino P. P.

IBeros [31], qui per nostræ legis auctoritatem per oblationem precum [32] & Imperiale rescriptum, sui juris effecti fuerint, ad similitudinem cæterorum qui emancipati ex antiquo [33] jure sunt, collationes facere jubemus [34] compelli secundum ea, quæ super cæteris emancipatis statuta sunt. Dat. 12. Kal. August. *Constantinop.* PROBO & AVIENO juniore CONSS. 503.

De dote, & ante nuptias donatione.

19. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

ILlam merito dubitationem amputare duximus, quæ super collatione dotis, vel ante nuptias donationis, inter certas personas satis jam ventilata est. Nam si intestatus quis defunctus esset, filio, vel filiis, [aut] filia, vel filiabus relictis, & ex mortua filia [vel filio] cujuscumque sexus, aut numeri [35] nepotibus: vel si qua intestata defuncta esset, filio quidem, vel filiis, filia vel filiabus similiter relictis, ex mortuo vero filio, vel filia itidem nepotibus cujuscumque sexus aut numeri: de modo quidem successionis minime dubitabatur, sed palam erat quod hujusmodi nepotes duas [36] partes paternæ, vel maternæ portionis tantum haberent, tertiam partem patruis suis, vel avunculis, vel amitis, vel materteris, pro jam posita constitutione concedentes: de collatione vero dotis, vel ante nuptias donationis quam defuncta persona pro filio, vel filia superstitibus, & pro mortuo vel mortua filio vel filia dedisset, multa dubitatio orta est: superstitibus quidem filiis defunctæ personæ non debere se dotem, vel ante nuptias donationem pro se datam a suo patre, vel matre, conferre filiis mortui fratris [sui] vel mortuæ sororis suæ contendentibus, eo quod nulla constitutio super hujusmodi collatione posita esset: nepotibus vero mortuæ personæ non tantum huic resistentibus, sed etiam adferentibus, quod onus collationis constitutione Arcadii & Honorii [37] divæ memoriæ sibi impositum, in personis tantummodo suorum avunculorum, non etiam patruorum, vel amitarum, vel materterarum locum habere posset. Talem igitur subtilem dubitationem amputantes, præcipimus tam filios, vel filias defunctæ personæ dotem [38], vel ante nuptias donationem a parentibus suis sibi datam conferre nepotibus [39], vel neptibus mortuæ personæ; quam eosdem nepotes [40], vel neptes patruis suis, aut avunculis, amitis etiam & materteris dotem, vel ante nuptias donationem patris sui, vel matris, quam pro eo, vel ea mortua persona dedit, similiter conferre: ut commixtis [41] hujusmodi collationibus cum bonis mortuæ personæ, duas [42] quidem [partes] nepotes, vel neptes habeant illius portionis quæ patri, vel matri eorum, si superesset, deferebatur: tertiam vero eiusdem portionis partem una cum [sibi] competentibus portionibus filii, vel filiæ defunctæ personæ, cujus de hereditate agitur, capiant. Dat. Kal. Jun. *Constantinop.* D. N. JUSTINIAN. A. PP. II. CONS. 528.

In AUTHENT. de trien. & se. §. neque illo. col. 3. tit. 5. Nov. 18. cap 4.

Quæ tertiæ portionis diminutio correctionem novo jure capit, ad æqualitatis justitiam redacta in omnibus talibus personis.

De his quæ imputantur in quartam. 1. De dote, & ante nuptias donatione.

20. Idem A. Mennæ P. P.

ILlud sine ratione a quibusdam in dubietatem deductum, plana sanctione revelamus: ut omnia [43] quæ in quartam portionem ab intestato successionis [44] computantur his, qui ad actionem de inofficioso testamento vocantur: etiam si intestatus is decesserit, ad cujus hereditatem veniunt, omnimodo coheredibus suis conferant. Quod tam in aliis, quam in his quæ occasione militiæ [45] uni heredum ex defuncti pecuniis acquisitæ lucratur is, qui militiam meruit, locum habebit: ut lucrum quod tempore mortis defuncti ad eum pervenire poterat, non solum testamento condito quartæ parti ab intestato successionis computetur, sed etiam ab intestato conferatur. Hæc autem regula, ut omnia quæ portioni quartæ computantur, etiam ab intestato conferantur: minime e [46] contrario tenebit, ut possit quis dicere etiam illa quæ conferuntur omnimodo in quartam partem his computari qui ad inofficiosi querelam vocantur. Ea enim tantummodo ex his quæ conferuntur, memoratæ portioni computabuntur, pro quibus specialiter, legibus, ut hoc fieret, expressum est.

§. 1. Ad hæc cum ante nuptias donatio [47], vel dos a patre data, vel matre, vel aliis parentibus pro filio, vel filia, nepote, vel nepte, cæterisque [48] descendentibus conferatur: si unus, vel una liberorum ante nuptias tantummodo donationem, vel dotem, non etiam simplicem [49] donationem accepit, vel acceperit, alter vero, vel altera neque dotem, neque donationem ante nuptias a parente suo suscepit, vel susceperit; sed simplicem tantummodo donationem: ne ex eo injustum [50] aliquid oriatur, [ti] ea quidem persona quæ ante nuptias donationem, vel dotem suscepit, conferre eam cogenda [sit]: illa vero quæ simplicem tantummodo donationem meruit, ad collationem ejus minime coarctanda est: si quid hujusmodi acciderit, jubemus ad [51] similitudinem ejus [52], qui ante nuptias donationem, vel dotem conferre cogitur, etiam illam personam quæ nulla dote, vel ante nuptias donatione data, solam simplicem donationem a parentibus suis accepit, conferre eam: nec [53] recusare collationem [ex] [54] eo quod simplex donatio non aliter confertur, nisi hujusmodi legem donator tempore donationis fuse indulgentæ imposuerit. Dat. 8. Id. August. *Constantinop.* DECIO V. C. CONS. 529.

1 *l. 11. in fin. supr. h. t.* 2 Peculium profectitium collationi obnoxium. *l. 13. supr. familiæ.* 3 Peculium castrense non conferitur. *l. 21. in fin. infra. h. t. l. 3. inf. de castrensi peculio.* 4 Peculium a patre legatum non conferitur. *l. 65. §. 1. ff. de res. vind. l. 38. vers. adeo ut si prælegatum. ff. de cond. indeb.* 5 Patre mortuo adjuncta liberi sui non conferunt, *ut hic*: sed nec emancipati. *l. 15. infr.* vid. *l. 6. in fin. supr. h. t.* 6 Sui liberi res a patre inter vivos acceptas conferunt.

7 Suus patri non succedens, donationem a patre factam non conferre. 8 Sui ab intestato donationem simpliciem conferunt, *ut hic*, ex testamento instituti præcipuum habent. *l. 18. supr. fam.* & ita utramque legem conciliat Cujacius 3. *obs.* 39.

9 Jus petendæ collationis translit ad heredem. 10 Etiam posthumus fit collatio facit *l. 11. §. 1. ff. h. t.* 11 Amitæ fratrum filiis conferre debent. *l. 19. J. h. t.*

12 Vid. Harmenop. 8. §. 33. 13 Id est, & emancipati. *ut hic*: & *l. ul. J. supr. h. t.* res post mortem patris quæsitas non conferunt. *l. 6. ff. h. t.* 14 Hoc innuit, Filias ab intestato succedentes esti cætera conferant, relicta tamen in codicillis non conferre. 15 *l. 10 supr. h. t.* 16 Omnes liberi, sive sui juris sint, sive in potestate, profectitiam a parentibus dotem vel donationem propter nuptias inter se conferunt. *l. 4. §. h. t.* 17 Abrogatur *l. 6. l. 7. ff. de dotis collat.* 18 Æqualitas inter fratres servanda. vid. *l. 4. supr. commun. divid.* 19 Adde 5. Harmenop. 8. §. 36. 20 Vide Cujac. 17. *obs.* 3. 21 Dos profectitia conferri debet.

22 Donatio propter nuptias a parentibus profecta conferenda. *l. 29. §. de inofficioso.* an & id quod studiorum causa patre impensum est? non conferitur, nisi credendi animo pater erogaverit, quod in dubio præsumitur. *l. 50. ff. familiæ.* Alciat. 1. *præsumpt.* 7.

23 Profectitia quæ, vid. *l. 4. §. h. t. l. 1. §. 11. & 7. ff. de dot. coll.* 24 Nihil interest sponso sponsæ nomine an sponsæ sponsi nomine donetur. 25 Forte legendum, *ut per eadem in sponsi donatio celebretur.* 26 In collationibus bonorum non considerantur extraneæ dotes, & donationes propter nuptias. 27 Profectitia ante vel post emancipationem quæsita, emancipati conferunt. 28 Correctio seu mutatio legum non præsumitur. dixi ad *l. 32. infr. de appellat.* 29 Solet pater in emancipando filio aliquid donare. *l. ult. J. de emancip. lib.* 8. *J. de bonis proscript. l. 37. in fin. ff. de neget.* 30 Profectitia post emancipationem conferunt emancipati. Profectitia, id est, res donatas a patre: & ita simplex etiam profectitia donatio conferitur.

31 Pars legis 11. *J. de legitim. hered. l. pen. J. de emancip. liber.* Omnium enim harum legum una inscriptio & subscriptio. 32 Filii emancipati ex rescripto principis, reservato jure legitimarum hereditatum (quod genus emancipationis introduxit Anastasius *l. pen. J. de emancipat.* auctor hujus legis) vocantur ad legitimam tant. vid. Cuj. 18. *observ.* 18. 33 Id est, solemnibus veterum ambitiis ex legibus ad collationem vocentur. 34 Ut ita quoque modo liberi sint emancipati, An nepotes qui paternam hereditatem repudiaverunt, conferre teneantur totem, vid. Guid. Pap. & Purpur. *Auct.* Adde DD. & allegat. in censur. forensi nostra *lib. 3. cap. 13.* 18. *cap. 4. l. 4. C. Tho. de legitim. hered. §. 15. Infr. de hered. quæ ab intesto. vide Novell. 5. C. Theod. de legitim. hered.* 35 Vide *l. 4. C. de jus. §. 15. Infr. de hered. quæ ab intesto.* 37 *l. nepotes. l. 17. §. h. t. l. 20. J.* 38 Dos & donatio propter nuptias conferuntur. 39 Patrui, & amitæ, avunculi & materteræ dotes, & dotes & neptes, filii patruis, avunculis, amitis & materteris dotem, & donationem propter nuptias conferunt. 40 Nepotes, vel neptes habeant illius portionis quæ patri, vel matri eorum, si superesset, deferebatur: tertiam vero eiusdem portionis partem una cum [sibi] competentibus portionibus filii, vel filiæ defunctæ personæ, cujus de hereditate agitur, capiant. 41 Collatione fit commixtio. 42 Hodie id abrogatum est. Novell. *18 cap. 4.* 43 Quæcumque in legitimam imputari solent, eadem ab intestato conferri debent. 44 Quam habiturus esset ab intestato. 45 Militi conferitur. adde *l. unimodo.* 30. §. *imputari.* §. *de inofficioso.* Iuo non conferetur. *l. 1. §. 16. ff. de collat.* 46 Quæ conditio testamento legitimæ imputantur, ab intestato conferuntur non imputantur, nisi id expresse cautum reperitur. 47 Dos & donatio propter nuptias profectitia conferitur. 48 *l. 19. in fin. §. h. t.* 49 De donationis simplicis collatione, vide *infr. eodem.* 50 Si quis dotem vel donationem propter nuptias profectitiam habet, eam simplici donatario confert: vicissim justum fuerit, ut simplex donatarius donationem simplicem eidem conferat. 51 Ut dos & donatio propter nuptias conferatur, ita & simplex donatio: dicimus apertius, quemadmodum coheres meus dotem & donationem propter nuptias profectitiam mihi confert, ita & simplicem donationem profectitiam eidem confero. 52 Lex distinguit liberorum conditionem: profectitia conferre. 53 Simplex donatarius, etiam invitus, ad collationem cogitur. 54 Nota verum argumentum donatarii: Ne dicat itaque cum interpretibus, Donatarium ad collationem faciendam non obstringi, nisi expressim id mutor collationem venuerit. Nam li fallitur hic donatarius, cum ita colligit: Ideo fead collationem non teneri, quia lex collationis ei dida non fuerit, *ut hic*: E contrario colligo, Donatarium a collatione facienda prius non excusari, quam expressim collatio ei remissa sit.

Tit. XXI. De testamento militis.

De peculio adventitio.

21. Idem A. Joanni P. P.

UT nemini [1] de cætero super collatione dubietas oriatur: necessarium duximus constitutioni [2], quam jam favore liberorum fecimus, hoc addere: ut [3] res quas parentibus acquirendas esse prohibuimus [4], nec collationi post obitum eorum inter liberos subjaceant. Ut enim castrense [5] peculium in commune conferre in hereditate dividenda, & ex prisci juris auctoritate minime cogebantur: ita & alias res quæ [6] minime parentibus acquiruntur, proprias [liberis] manere censemus. Dat. 15. Kal. Novembr. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. anno 2. 530.

TIT. XXI.
DE TESTAMENTO MILITIS [7].

De milite pro parte testato, pro parte intestato.

1. Imp. ANTONINUS A. Floro militi.

FRater tuus miles si te specialiter in bonis, quæ in paganico [8] habebat [9], heredem fecit: bona, quæ in castris reliquit, petere non [10] potes, etiamsi is qui eorum heres institutus est, adire [11] ea noluerit, sed ab intestato succedentes veniunt: modo si in ejus locum substitutus non es, & liquido probetur fratrem tuum castrensia bona ad te pertinere noluisse. Nam voluntas [12] militis [in expeditione occupati] pro jure [13] servatur. Accepta 5. Id. Septemb. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

2. Idem A. Septimo militi.

MIles si castrensium tantummodo [14] bonorum commilitonem suum instituit heredem: cætera bona ejus, ut intestati defuncti, mater ejus jure possidebit. Quod si extraneum scripsit heredem [15], isque adiit hereditatem: bona ejus in te transferri non jure desideras. PP. 11. Kal. Mart. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

Utrum testamentum valeat jure communi, an jure militari.

3. Idem A. Vindiciano.

QUamquam militum testamenta juris [16] vinculis non subjiciantur, cum propter simplicitatem [17] militarem, quomodo [18] velint, & quomodo possint, ea facere his concedatur: tamen in Valeriani quondam centurionis testamento institutio etiam jure [19] communi accepit auctoritatem. Nam [20] cum paterfamilias filiam ex duabus unciis, uxorem ex uncia heredes scripserit, nec de residuis portionibus quicquam significaverit: in tres partes divisisse eum apparet hereditatem, ut duas habeat, quæ sextantem accepit, tertiam, quæ ex uncia heres est instituta. PP. Kal. Novemb. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De manumissione.

4. Imp. ALEXANDER A. Junio.

SI Rufinus, Vir Clarissimus Tribunus [21], laticlavius [22] major annis [lege] definitis [23] faciens testamentum, te manumisit: justam libertatem competisse, scire debes. Quod si minor annis ex lege constitutus fuerit, cum faceret testamentum: lege impediente nullam libertatem adeptus es, quæ in hac parte nec [24] militibus remissa est. Quod si idem testator causam manumittendi te habuit, quæ probabilis vivo manumittente consilio futura [25] esset: quia per fideicommissum data libertas a quolibet minore annis ei, cujus causa [26] probari potuit, præstari debet: ex testamento militis hujusmodi servis justam libertatem competere consequens est. Dat. 16. Kal. Decemb. ALEXANDRO A. CONS. 224.

Qui ex testamento militis capere possunt.

5. Idem A. Sozomeno.

EX testamento militis, sive adhuc in militia, sive intra [27] annum missus honeste decesset, hereditas & legata omnibus quibus relicta sunt, debentur: quia inter cætera quæ militibus concessa sunt, rum [28] arbitrium, quibus velint, relinquendi supremis judiciis concessum est: nisi [29] lex specialiter eos prohibuerit. Dat. 17. Kal. Februar. JULIANO II. & CRISPINO CC. CONSS. 225.

De substitutione.

6. Idem A. Valentino.

IN testamento quidem ejus qui non [30] miles fuit, si duobus heredibus institutis, altero [31] cui [32] potuit usque ad tempus pubertatis parens facere testamentum, altero [33] cui posteaquam heres extitit, substituere non potuit, invicem substitutio eisdem verbis facta est: in eum solum casum eam locum habere sententiis prudentium virorum, & constitutionibus Divorum parentum [34] meorum placet, quo utrique pari ratione potuit substitui. Sed cum ex testamento militis controversiam esse proponas, defuncta parvula ejus filia, posteaquam heres extitit patri, cum qua simul æquis partibus heres institutus eras, substitutione invicem [35] facta: & mater quidem intestatæ filiæ sibi succellionem defendat, tu autem ex substitutione ad te pertinere contendas, juris quidem ratio manifesta est, licere militibus proprio privilegio etiam heredibus extraneis [36], posteaquam [37] heredes extiterint, mortuis substituere: Sed tibi probandum est, an ita frater tuus senserit. PP. 11. Kal. Maji, FUSCO II. & DEXTRO CONSS. 226.

De verbis, Fortunato liberto meo do, lego.

7. Idem A. Fortunato.

EX his verbis, *Fortunato liberto meo do, lego*, vindicare tibi libertatem non potes, si pagani [38] testamentum proponatur. At enim cum testatorem militem [39] fuisse proponas: si non errore [40] ductus libertum [te] crediderit, sed dandæ libertatis animum habuerit: libertatem equidem directam competere tibi, sed & legati vindicationem habere te prærogativa militaris privilegii præstat [41]. Dat. 12. Kalend. Januar. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO CONSS. 227.

De institutione ad tempus.

8. Imp. GORDIANUS A. Æterno militi.

CErti juris est, militem [42] ad [43] tempus etiam heredem instituere posse. PP. 3. Kal. Octob. PIO & PONTIANO CONSS. 239.

De præteritione.

9. Idem A. Valerio.

SIcut certi juris est militem qui scit [44] se filium habere, aliosque scripsit heredes, tacite [45] eum exheredare intelligi: ita si ignorans [46] se filium habere, alios scribat heredes, non obesse filio ademptam hereditatem, sed minime valente testamento, si sit in potestate, eum ad successionem venire in dubiis non habetur. PP. 5. Non. Octob. PIO & PONTIANO CONSS. 239.

Postliminii vel jam natus a milite ignorante præteritus, ab intestato ei succedit: eo sciente, habetur pro exheredato. Salic.

10. Impp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS [47] C. Justino militi.

SI cum vel in utero haberetur filia inscio patre [48] milite, ab eo præterita fit: vel cum in rebus humanis [49] eum non esse falso [50] rumore perlato pater putavit, nullam ejus [in] testamento fecit mentionem, silentium hujusmodi exheredationis [51] notam nequaquam infligit. Is autem miles qui testamento *filiam* [52] *sciam* appellavit, eique legatum dedit: non instituendo eam heredem, exheredavit. PP. 12. Kalend. Jun. PRÆSENTE, & ALBINO CONSS. 247.

1 Ad intellectum hujus *l.* vid. Fachin. *lib. 1. contr. c.* 85. Guid. Pap. *b. l.* Anf. Adde Cujac. *lib. 5. obser.* cap. 30. Menoch. *de arbitr. judic. lib. 2. c.* 127. S. I.

2 *l. 6. J. de bon. quæ lib.* 3 Collationi non sunt obnoxiæ res quæ parentibus per liberos non adquiruntur, quæ autem sint illæ quæ parentibus non adquiruntur per liberos, v. *J. titul. de bonis, quæ liberis in potestate patris constitutis, ex matrimonio vel alias adquirantur & eorum administratione.* 4 *l. 6. l. 7. l. 8. J. de bon. quæ lib.*

5 Castrense peculium non conferitur. *l. 12. §. h. t. l. 1. §. 15. ff. h. t. l. 3. J. de castr. peculi.* 6 Hinc collige adventitia non conferri, ut ita aiunt lex 4. *supr. h. t. l. 1. §. 7. ff. de dot. coll.* nam adventitorum annus usufructus parentibus adquiritur. *l. 6. J. de bon. quæ lib. §. 1. Instit. per quas person. cuiquæ.*

7 Dixi ad *Lib.* 29. *D.* 1. adde 35. *Eclog.* 21. *fol.* 26. 8 Paganicis hic opponuntur castrensibus. 9 Id est, in bonis paganicis, paganica opponuntur castrensibus. 10 Et ita heredi militarium in paganicis non adrecitant bona militaria defuncti: videntur enim quodammodo duæ diversæ hominum hereditates. *l. 17. §. 1. ff. h. t.* Ideoque heredi militarium bonorum non adrecitant, pars eorum ad heredes ab intestato militis defertur: Ut ita pro parte testatus, pro parte intestatus moriatur. *l. 6. ff. h. t.* 11 Adire bona. Symmachus *in epist.* Aditione bonorum succedit. Lucianus καταδέχεται τὰς τῶν πατέρων: & ita quoque dicimus, Adire hereditatis institutionem, An nepotes qui paternam hereditatem repudiaverunt, conferre teneantur totem, vid. *numm.* 11. S. I. 12 *l. 6. l. 14. l. 15. J. h. t. l. 1.* 13 Si modo de eo conflet. *l. 24. l. 25. in fin. ff. h. t.* 14 Institutio facta in castrensibus ad se paganos non trahit. *l. 6. l. 11. l. 12. ff. h. t.* 15 Simpliciter, nam institutio simpliciter facta comprehendit omnia. 16 Juris vinculis testamenta militum non subjiciuntur. 17 Simplicitas militaris, *ut hic*: armatæ militiæ. *l. 1. §. de iuris & facti ignorant.* imperitia. *l. 40. ff. de adminstrat. & peric. tutorum in Agricola. Credant pierique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio iniuria & obtuso, ac obscura morum agenda, calliditatem fori non exercet.* adde *l. pen. J. ad leg. Corn. de falsis.* 18 Miles quomodo velit & potest, testatur, *ut hic. & l. 1. §. 1. J. de testam. mil.* 19 An privilegiatus testamentum faciens præferatur in dubio potius ut jure communi, quam speciali, vide Alciatum 3. *præsumpt.* 36. 20 Miles filiam ex duabus unciis: uxorem ex unica uncia heredem fecit, nec de residuis novem unciis quidquam disposuit: Quæritur cui eodem relique novem uncie? Jure communi pagianorum recepium est, ut eo casu testator videatur filiam intestitiste ex duabus partibus hereditatis, uxorem ex tertia. *l. 13. §. 2. l. 47. §. 1. J. de testamen. instit.* 9. *§. Instit. de heredit. inst.* ergo & miles. Nam testamentum *Bald.* & institutio per quotam trahitur ad omnia bona. *Balde. numero 6. Namque depositum eiusdem, sortique tribunum.* 22 Laticlavi. *Hal.* Tribunorum alii laticlavii, alii angusticlavii, Senatores omnes laticlavii, equites angusticlavii, ut merito hæc separentur in *l. 42. ff. de donat. inter vir.* latum clavum imperatore, vel equitatis ordinis fieri. De lato & angusto clavo dixi ad *d. l. 42.* latum est aliloqui quod Accursius & Baldus hic negantur de clara ferrea a tribunis medios inter boltes projici folita, ut ad eam hostilius eripienoam, fed & eos in fugam vertendos milites incos accedunt. 23 Id est, *quinquo annis viginti.* 24 Minor annis viginti. *l. 5. J. l. 2. §. 18. ff. de fideicommiss. libert.* quantumvis miles sit, servum testamento manumittere non potest. *l. 29. §. 1. ff. h. t. l. 3. ff. de testamentif. tutament.* nisi causa cognita. *J. eod.* habeur ergo potior ratio legis prohibetuis minorem manumittere, quam privilegii militibus quidvis permittentis. 25 Quod inter vivos causa cognita fieri potest, idem & testamento fieri conceditur. 26 De causis, vide *l. 11. 12. 13. 14. ff. de manumiss. vind.* 27 *l. 21. l. 26. l. 38. ff. h. t. l. 40. l. 92. ff. ad l. Falc.* 28 *l. 1. §. h. t.* 29 Exempla prohibitionum vid. *in l. 13. §. 3. l. 41. §. 1. ff. h. t. l. ult. supr. de haereticis. l. 7. §. 1. ff. de legat. 3.* 30 Paganus filium impuberem, & fratrem puberem heredes instituit, eosque invicem substituit? mortuo impubere succedet impubes. 31 Puta filio vel filiæ, cui parentes possunt substituere pupillariter. 32 Vide *Inst. de pupillari substitut.* 33 Puta fratre, cui vulgariter substitui solet, non pupillariter. 34 Severi & Antonini. *l. 4. §. 2. ff. de vulgari.* Parentes autem vocat quos habuit imperii antecessores. 35 Miles filium impuberem & fratrem impuberem instituit, eos invicem substituit. mortuus intra pubertatem filia, mater filiæ patruo eius præferetur, nisi patrius probaverit testatoris voluntatem mutatam fuisse: ut etiam in pupillarem cotium valeat substitutio: Aliisq reciproca substitutio facta diverse conditionis vel ætatis liberis, valet tantum in vulgari casu. *d. §. 2. l. 2. J. de emptab. & alim. vid.* Cujac. 17. *obs.* 26. adde 5. 39. *l.* 41. *ff. de vulgari.* 36 *l. 1. l. 28. in fin. l. 41. §. 3. l. 42. ff. de vulgari.* 37 Miles verbis directis, etiam post pubertatem, liberis substituere potest, *l. 8. J. de impubar.* paganus per fideicommissum eunum & verbis fideicommissaris, *l. 41. §. 3. ff. de vulgari. §. ult. Instit. de pupillari.* vid. Cujac. 12. *obs.* 27. 38 Paganus servum, cui legatum adscripsit, manumisisse non videtur, *ut hic, & l. 65. ff. de heredit. instit.* aliud in militie *infr. h. t.* 39 Miles servum cui scienter ut liberto legatum adscripsit, manumisisse videtur, *ut hic, & l. 40. §. 1. ff. h. t.* dic aperius, Si miles servum suum sciens liberum nuncupaverit, eique legatum adscripserit, manumittit. *Novell. 78. cap. 4. vers. Si enim.* paganus non manumittit. *l. 2. infr. de necessar. l. 65. ff. de hered. instit.* Quid si paganus sub appellatione liberorum, servos heredes instituerit? manumittit. *d. l. 2.* Plus igitur in institutione est, quam in legato. 40 Excidit sæpe nobis falsa demonstratio in herede instituendo. *l. 33. ff. de conditionibus & demonstrat.* 41 Constat. 42 Aliud in pagano. *l. 34. ff. de hered. instit.* 43 *l. 15. §. 4. l. 19. in fin. l. 41. ff. h. t.* 44 *l. 10. J. h. t. l. 36. §. 2. ff. h. t. l. 16. §. 5. ff. de testam. tut.* 45 Militis id est facta a milite præteritio, exheredatio est. *l. 47. in fin. ff. de bon. libert.* miles non cogitur filium nominatim exheredare. Miles silentio exheredat. *l. 12. ff. de bon. libert.* 9. *§. Instit. de exhered. liber.* 46 Miles ignorans se filium habere non iuste eum præterit. 47 *Al.* Gordianus. 48 Vide *l. 9. supr. h. t.* 49 Mortuus non est in rebus humanis: mortuus, homo esse definit. 50 Quid si faciens nullam filiæ in testamento mentionem fecit? patris silentium habebitur pro exheredatione. adde 5. *pen. Instit. de exhered. liberorum.* 51 Qui a patre exheredatur, quali notatur. Exheredatio species injuriæ est. Ex ea tamen causa filius non sit infamis. dixi ad *l. 13. supr. ex quib. caus. infam.* 52 Quem miles non exheredat, institutit: quem non institutit, exheredat. Miles autem filium heredem non institutit, si filium tantum appellavit, aut si eidem ut filio tantum legavit. Paganus si filio legaverit, nec institutit, non censetur filium exheredasse. *l. 30. in principio. l. 36. supr. de inofficioso.*

De captatoria institutione.

11. Iidem A. & C. Æmiliano militi.

CAptatorias [1] institutiones etiam in militis testamento nullius esse momenti, manifestum est. PP. 7. Kalend. Jul. PRÆSENTE & ALBINO CONSS. 247.

De lege Falcidia, si quid ultra vires hereditarias petatur.

12. Iidem A. & C. Domitiæ.

IN testamento militis [2] legem [3] Falcidiam, & in legatis [4], & fideicommissis [5] cessare, explorati juris est. Sane si quid ultra [6] vires patrimonii postulatur: competenti defensione tueri te potes. PP. 6. Non. Jul. PRÆSENTE & ALBINO CONSS. 247.

De flagitio militari.

13. Impp. VALERIANUS & GALLIENUS AA. Claudiæ.

ET militibus nostris, Centurionibus quoque ob flagitium militare [7] damnatis [8], non aliarum quam castrensium rerum testamentum facere permittitur [9], & intestatis jure proprio succeditur a fisco. Prop. Non. August. VALERIANO & GALLIENO AA. III. & II. CONSS. 256.

De solennitatibus non servatis.

14. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. heredibus Maximi.

SI a fratre suo militante mater vestra scripta heres successionem [ejus sibi] quæsivit: quamvis testamenti scriptura non continet juris [10] observationem, hanc [tamen] hereditatem fratrem testatoris, vel ejus filios ab intestato evincere non potuisse, jure constitit. PP. 5. Non. Maji, ipsis AA. CONSS.

De degentibus in expeditione.

15. Imp. CONSTANTINUS A. ad Populum.

MIlites in expeditione [11] degentes, si uxores, aut filios, aut amicos, aut commilitones suos, postremo cujuslibet generis homines amplecti voluerint supremæ voluntatis affectu: quomodo possint [12], ac velint, testentur: nec uxorem, aut filiorum eorum, cum voluntatem patris reportaverint, meritum, aut libertas dignitasve quæratur. Proinde sicut juris rationibus licuit, ac semper licebit, si quid in vagina [13], aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inscripserint [14] gladio suo, ipso tempore quo in prælio vitæ [15] sortem derelinquunt, hujusmodi voluntatem stabilem esse oportet. Dat. 3. Id. August. *Nicomediæ*, OPTATO, & PAULINO CONSS. 334.

De scriniariis & apparitoribus.

16. Imp. ANASTASIUS Hierio P. P.

SCriniarios [16] vel apparitores [17], qui Virorum Magnificorum Magistrorum militum jussionibus vel actibus obtemperant: etsi nomina eorum matriculis [18] militaribus referri videantur [19], nullatenus [tamen] in ultimis a se conficiendis voluntatibus juris militaris habere facultatem decernimus. Dat. Id. Februar. *Constantinop.* PAULO V. C. CONS. 496.

Quando miles testetur quomodo vult.

17. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

NE quidam putarent in omni tempore licere militibus testamenta, quoquo modo voluerint, componere: sancimus his solis [20] qui in expeditionibus [21] occupati sunt, memoratum indulgeri circa ultimas voluntates conficiendas beneficium. Datum 4. Id. April. DECIO V. C. CONS. 529.

De pupillo.

18. Idem A. Joanni P. P.

LIcet antiquis [22] legibus permittebatur [23] pupillis [24], si Tribunatum [25] numerorum [26] merebantur [27], ultimum elogium conficere posse: attamen indignum nostris temporibus [esse] videtur, eum qui stabilem [28] mentem nondum adeptus est, propter privilegia militum, sapientium [29] hominum jura pertractare, & in [tam] tenera ætate ex tali licentia parentibus forte suis, vel aliis propinquis nocere, propriam substantiam extraneis relinquendo. Ideoque hoc fieri nullo [30] modo concedimus. Dat. Kal. Novemb. post Consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. Anno 2. 532.

TIT. XXII.

QUI TESTAMENTA [31] FACERE POSSINT, VEL NON [32].

De Socio omnium bonorum.

1. Imp. GORDIANUS A. Petronio militi.

QUanquam omnium bonorum socer tuus, itemque frater ejus socii [33] fuerint: tamen non eo minus idem frater ejus cum fati munus impleret, testamento suo potuit sibi heredem instituere quem vellet. † Item non idcirco minus is testamenti factionem habet, quod [34] indivisam successionem cum sorore sua dicatur habuisse. PP. 12. Kal. August. ARIANO & PAPPO CONSS. 244.

1 *l.* 70. *l.* 71. *D. hered. instit.* Captare est aucupari lucrum. Hinc captatoriæ scripturæ. *l.* 64. *D. de legatis* 1. captare hereditatem. *l.* 25. *supr. de transact.* *l.* 1. *D. si quis aliq. testari.* Captatoriam institutionem, χάριν ἀμειβομένην, vocat Harmenopulus 5. *tit.* 8. Hoc modo, Si Titius me: vel, Qua ex parte Titius me heredem instituerit: vel, Si Titius Cajum sibi heredem instituerit, mihi heres esto. His formulis referimus gratiam quam captamus: nec tantum accipimus, sed reposcimus, nobis vel aliis hereditatem captantes, idque aucupium hereditatis, secretum voluntatis alienæ seu testatoris appellatur. *l.* 70. *D. de hered. instit.* Idem aucupium *in l.* 71. *in fin. d. tit.* captio appellatur. Captatoria autem non est, quæ remunerandæ jam factæ institutionis causa fit. *l.* 71. *D. de hered. instit.* quæ fit mutuatis affectionibus: ita enim forte legendum in *l.* 70. *D. de heredib. instit.* id est, placata testatoris offensa. *l.* 3. *D. si quis aliquem testari.* & *l. ult. infr. h. t.* ut mutuari affectionem testatoris sit placabilibus verbis testatorem provocare ad mutandam exheredationem: ad legatum relinquendum pœnitenti. Huic interpretationi adjunge quæ de ea re tres præstantissimi viri scripserunt, Alciat. 2. *Parerg.* 31. Ant. Augustinus 4. *emendat.* 15. Cujacius 16. *observ.* 11. & ex hoc loco illustrari *d. legem* 70. adde etiam quædam ex Mynsingero 1. *observ.* 8. Addantur & hæc, mutuis affectionibus judicia provocare permitti. *l.* 70. *D. de hered. instit.* ut & offensam testatoris placare. *l. ult. D. si quis aliquem testari.* & *l. ult. infr. si quis aliquem testari.* quanta ex parte me heredem scriptum habueris, ex ea parte heres esto. *l.* 29. *D. de hered. instit.* *l.* 20. *in fin. D. de condit. instit.* (cui contraria hæc est: qua ex parte me heredem scriptum in tabulis recitaveris, ex ea parte heres esto: hæc habetur pro non scripta. *l.* 1. *in fin. D. de his quæ pro non scriptis.*) qua ex parte Titius me heredem scripserit, ex ea parte Mævius heres esto. *l.* 71. *D. de hered. instit.* Qua ex parte me a Titio scriptum heredem recitavero, ex eadem parte Sempronius mihi heres esto. Hæc non est captatoria. *l.* 81. *in fin. D. de hered. instit.* Contra hæc captatoria est, Titius si Mævium tabulis testamenti sui heredem a se scriptum ostenderit, heres esto. *l.* 71. *in fin. D. de hered. instit.* Non valet quoque ad secretum alienæ voluntatis conditio institutionis collata, hoc est, in alienam voluntatem. *l.* 70. *in fin. D. de hered. instit.* Non valet hæc institutio, quem Titius voluerit, instituo. *l.* 32. *D. de hered. instit.* si Mævius voluerit, Titius heres esto. *l.* 52. *in fin. D. de condit. & demonst.* *l.* 68. *in med. D. de hered. instituend.* si heredem me non feceris, centum dare spondes. *l.* 61. *D. de verb. obligat.* *l.* 34. *supr. de transf.* *l.* 4. *D. de inutilibus stipul.* *l.* 5. *supr. de pactis conventis* (licet ita valeat, si me vel filium exheredaveris, centum dabis. *l.* 132. *D. de verb. obligat.* nam qui sic stipulatur, hereditatem non directe sibi stipulatur, sed potius notam exheredationis fugit.) Quid si ita: si Titius Capitolium ascenderit, Cajus heres esto: Cajo lego centum? Valet hujusmodi institutio ac legatum: confertur quidem utrumque in alterius, puta Titii, voluntatem, sed tacite non expresse. Hujusmodi institutio toleratur, quia palam & aperte non confertur in alterius voluntatem, sed tacite & per consequentias tantum: multa autem expressa nocent, quæ non expressa non nocent. *l. si quis Sempronium.* 68. *D. de hered. instit.* *l. nonnunquam.* 52. *D. de cond. & demonst.* & breviter captatoria institutio non est, quæ fit mutuis affectionibus. *l. captatorias.* 70. *D. de heredib. instit.* ubi duorum similis est affectus. *Novell. Valent. de testam.* sicut in mutuis inter vivos duorum vel plurium inter se donationibus cernitur: adde *l.* 64. *D. de leg.* 1. 2 Aliud in pagani testamento, & militis, jure communi facto. *l. penult. infr. h. t.* & tamen veterani. *l.* 40. *D. ad l. Falcid.* 3 Falcidia in testamento militis cessat, *ut hic*, & *l.* 17. *in fin. D. h. t.* *l.* 7. *infr.* & *l.* 17. *l.* 92. *in fin.* *l. ult. D. ad leg. Falcid.* 4 *d. l.* 7. *d. l.* 17. 92. & *ult.* 5 *l.* 1. §. 18. *D. ad SC. Trebell.* 6 Heres ultra quam ad eum pervenerit, non tenetur. *l.* 22. §. 5. *infr. de jure delib.* *l.* 1. §. 17. *D. ad SC. Trebell.* si tamen inventarium fecerit. *d. l.* 22. §. 14. ideoque legata ab eo facta, qui non solvendo fuit, inutilia sunt. *l.* 15. *infr. de legat.* *l.* 16. Ĵ. *ad l. Falcid.* *l.* 17. *D. de mort. caus. don.* §. *ult. Inst. de leg. Falcid.* 7 Secus, si ob commune delictum. Tunc enim cognati militis fiscum excludunt. *l.* 1. *D. de veter. & milit. success.* 8 Miles ob flagitium militare damnatus potest testari de rebus castrensibus, *ut hic*, & *l.* 11. *D. h. t.* in paganicis fiscum habet heredem, *ut hic.* 9 Lege sc. alias permitti ei potest. *l.* 32. §. 8. *D. de donat. inter vir.* *l.* 1. *D. de veter. & milit. success.* vel a Principe. *l.* 6. §. 6. *D. de injusto.* vel ab ipso judice dum condemnat. *l.* 22. §. 1. *D. de leg.* 3. 10 In militari testamento non requiritur juris communis observatio, *ut hic.* Nam voluntas militis in expeditione occupati pro jure servatur. *l.* 1. *in fin. supr. h. t.* 11 *l.* 1. *in fin. supr. h. t.* ἐν στρατοπέδῳ *Synops. Bas.* 35. *tit.* 3. *ex tit.* 21. *c.* 51. 5. Harm. 1. §. 48. 12 *l.* 3. *supr.* & *l. ult. D. h. t.* *l.* 37. *supr. de inoff.* 13 Militibus testamentum facturis in ipso pugnæ tempore vagina (vide Ammianum *lib.* 18. *p.* 135.) clypeus, pulvis, humus, chartæ, vel tabularum loco esse possunt, ad le *Novell. Leonis* 40. ut & notæ, pro litteris. *l.* 40. *D. h. t.* sanguis pro atramento: ensis, pro stylo, penna ac calamo, *ut hic*, *Synopsis & Harm. ibid.* 14 Præsente aliquo scil. Vix est enim ut cujusquam manus ex hujusmodi scriptura agnosci possit. Quot testes requirantur in militis testamento, dixi ad *Novell. Leonis* 41. 15 Sors vitæ, vita ipsa. 16 Σκρινιάριος auctor Etymolog. χαρτοφύλαξ. Forcat. 12. Aviarii 2. scriniariis hodie comparari posse putat secretarios & scribas Ducum & Tribunorum. Quinam scriniarios habuerint, mox dicam. 17 Scriniarios olim habuerunt Præfecti prætorio, Magistri militum, Comites utriusque ærarii, Proconsul Asiæ, Castrensis sacri palatii, item duces. 18 Matricula militem sola non facit, ideoque qui militum effectu carent, & militum munere non funguntur, carent & privilegio. *c. un. de vasal. milit.* 19 Aliud est videri, aliud esse. Nomina scriniariorum videntur esse in matriculis militaribus, non sunt tamen, id est, videntur milites, non sunt tamen vere milites, etiamsi jus castrensis peculii habent. *l.* 6. *infr. de castr. pecul. milit.* Fit eorum militum mentio in *l.* 8. Ĵ. *de numerariis.* 20 *l. ult. ff. h. t.* Miles jure militari per id tantum tempus uti vel testari potest, quo militat & in castris degit. §. 3. *Instit. eod.* 21 Ἐν στρατοπέδοις. *Synops. ibid. cap.* 52. idque sive sit in castris, sive in fossato, sive in hybernis, sive in præsidiis, sive in stativis seu sedibus sedetis ac ædibus. *d. l. ult.* *l.* 18. *supr. de episc. aud.* Sufficit ergo ut fiat in expeditione, licet non in procinctu: alioquin nihil aut parum distabit miles a pagano. Nam paganus in procinctu & hostico, jure militari testari potest. *l. ult. ff. h. t.* quod illis locis de quibus dixi, intermortua fit quodammodo memoria legum. vide Cujac. *consf.* 49. 22 Forte ante Adrianum Imperatorem. Valerianus apud Vopiscum *in Probo: Miraris quod ego imberbem Tribunum fecerim contra constitutum D. Adriani.* & de eodem Adriano Spartianus: *Nullum tribunum, nisi plena barba fecit, aut ejus ætatis quæ prudentia, & annis tribunatus robur impleret.* 23 Olim permissa fuit testamenti factio impuberi tribuno numerorum, quasi dignitate supplente ætatem. ut hinc quoque possis colligere, tribunatum numeri, aliasque dignitates militares impuberibus permissas. 1. Veget. 4. Plin. 8. *epist.* Corrasius 5. *Miscell.* 22. ideo testamenti factionem pupillis permissam putat, quod tribunatus nomen esset honoris, non officii, iis maxime qui ex illustri familia essent: & quod possent majores natu vicarios adjutores & consiliarios habere. vide Cujac. 17. *obs.* 36. 24 *Si in tribunatu numerorum.* Rævardus 4. *variar.* 8. ita emendat: ortum errorem putat ex ea scriptura: *tribunatu in numerorum.* Tribunus ergo numerorum est qui alias Romanorum cohorti, vel legioni præpositus fuit. Tribunatus numerorum, munus ipsum. Cohortes enim, ut legiones suos tribunos habuerunt. Plin. 3. *epist.* *l.* 25. *ff. h. t.* In tribunatu igitur numerorum mereri est tribuni officio ac munere fungi. 25 Numeri interdum cohortem, vel legionem significant. Sozomen. 1. *histor. tripar.* *l.* 14. *infr. de re milit.* Hinc in numeros referri. *l. un. in fin. ff. de bon. poss. ex test. milit.* interdum a legionibus separantur numeri. *l.* 13. *infr. de re milit.* Goth. Pro (tribunatum numerorum) reponit Rævardus *variar. lib.* 4. *cap.* 8. (in tribunatu numerorum.) Sed veterem lectionem defendit Leonin. *emendat. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 1. Ans. 26 Ad eundem modum lege Constantini, impuberibus profitentibus cœlibatum dabatur jus testamenti faciendi in ipso monasterii ingressu. 1. *Sozomen.* 9. quod tamen Leo mutavit. *Nov.* 6. 27 Et per consequens non permittebatur patri in cujus potestate erant, eis substituere. 28 Impuberis mens non est stabilis. 29 Factio testamenti sapientibus tantum & stabilem mentem habentibus permittitur. 30 Et ita abrogantur antiquæ leges, quibus permittebatur impuberi tribuno numerorum testamenti factio.

31 Qui sequitur tractatus maximam & evidentem utilitatem in se continet: Testamentis enim inseruntur institutiones, substitutiones, exheredationes, legata, fideicommissa, tutelæ, libertates, adsignationes libertorum, mortis causa donationes, mortis causa capiones, attestationes, ademptiones, confirmationes codicillorum, præcepta, consilia, damnationes, injunctiones: quæ omnia patent latissime. 32 Dixi ad *L.* 28. *D.* 1. *de accusato.* vide *l.* 8. & 9. *l.* 13. *ff. h. t.* de ægroto. *l.* 3. *infr. h. t.* Augusta, *l.* 7. Ĵ. *h. t.* de bannito, vid. Clar. 3. *sent.* §. *testam. q.* 19. (ubi differentiam facit inter bannitum simpliciter & bannitum simul & damnatum ad mortem, & inter bona interdicti in loco sita & extranea, & inter leges loci interdicti & alias) de captivo. *l.* 8. 12. & 13. *ff. h. t.* cæco, *l.* 8. *infr. h. t. Nov. Leon.* 69. De eo, qui rem indivisam cum alio habet, *l.* 1. *in fin. infr. h. t.* damnato ad metallum, ad ferrum, ad bestias, *l.* 8. §. 4. *ff. h. t.* ad perpetuos carceres. Clar. 3. *sent.* §. *testam. q.* 23. ad mortem, (Clar. 3. *sent.* §. *test. q.* 21. consuetudine receptum esse refert, ut is testari possit in illis bonis in quibus bonorum confiscatio locum non habet. contra *l.* 6. §. 6. *ff. de injusto.*) ob carmen famosum, *l.* 18. §. 1. *ff. h. t.* ex militari delicto, *l.* 6. §. 6. *ff. de injusto.* De deportato, *l.* 8. §. 2. *ff. h. t.* de sui status dubio, *l.* 15. *ff. h. t. Novell. Leon.* 33. de eunucho, *l.* 5. *infr. h. t.* de excommunicato nihil definitur, potest itaque testari. vide Clar. 3. *sent.* §. *testam. q.* 24. de filiofamilias, *l.* 11. & 12. *infr. eodem.* de furioso, *l.* 9. *infr. h. t.* de hæretico, vide *l.* 17. §. 1. *l.* 18. 19. *supr. de hæret. Nov.* 144. *c.* 1. vide *l.* 3. *infr. h. t.* de sui status incerto, *l.* 14. & 15. *ff. h. t.* de infami. *l.* 1. *supr. de secund. nupt.* Clar. 3. *sent.* §. *testamentum quæst.* 25. de impubere. *l.* 4. *infr. h. t.* interdicto bonis seu prodigo, *l.* 18. *ff. h. t.* de interdicto aqua & igni, *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* inhabiles ad testamentum faciendum, an possint ad pias causas testari, dixi ad *Auth. similiter. infr. ad l. Falc.* de legato. *l.* 13. §. 1. *ff. h. t.* de leproso dicam ad *l.* 3. *infr. h. t.* majestatis reo. *l. ult.* Ĵ. *ad l. Jul. majest.* manibus privato, *l.* 10. *ff. h. t.* monacho, *Nov. Leon.* 5. vide Clar. 3. *sent.* §. *testam. q.* 28. 29. 30. muto, surdo a natura, *l.* 10. *infr. h. t.* obside, *l.* 11. *ff. h. t.* De Prælato & Clerico, vide Clarum 3. *sent.* §. *testamentum q.* 27. Principe, *l.* 6. *l.* 7. *infr. h. t.* peregrino, *l.* 31. 32. *ff. de jure fisci.* Ulpian. 20. §. 14. *in fin.* prodigo, *l.* 18. *ff. h. t.* §. 2. *Inst. quib. non est permiss.* relegato, *l.* 8. §. 3. *ff. h. t.* sene, *l.* 3. *infr. h. t.* servo privati vel Principis, *l.* 16. *ff. h. t. Leon. Nov.* 36. socio omnium bonorum, *l.* 1. *infr.* surdo, muto, *l.* 10. *infr.* spurio, *Nov.* 89. *c.* 12. & 15. *Auth. licet in fin. supr. de natur.* vid. Clar. *d. loco q.* 31. sui interfectore, *l.* 2. *infr. h. t.* valetudinario, *l.* 3. Ĵ. *h. t.* vasallo, *cap.* 1. *de success. feudi.* usurario, *c. ult. de usuris in* 6. vide Clarum 3. *sent.* §. *testam. q.* 26. 33 Socius omnium bonorum testari potest. *l.* 4. *in fin. supr.* & *l.* 52. §. 2. *ff. pro soc.* 34 Rem indivisam cum alio communem habens testari potest. *d. l.* 4. *l.* 3. *supr. de comm. rer. alien.* 5. Harm. 1. §. 36. Commune quippe mihi cum alio meum est, meumque esse dici potest, ut in ea parte jure dominii uti possim. adde *l.* 51. *ff. pro socio.*

De

De sibi Mortem inferente.

2. Impp. DIOCLETIAN. & MAXIMIAN. AA. & CC. Viatori & Pontiæ.

SI is, qui te cum uxore tua heredem scripsit, quando [1] testamentum ordinavit [2], sanæ [3] mentis fuit, nec postea alicujus sceleris [4] conscientia obstrictus, sed [5] aut impatiens [6] doloris, aut aliqua [7] furoris [8] rabie [9] constrictus, se præcipitem dedit, ejusque innocentia liquidis probationibus commendari potest a te, adscitæ mortis obtentu postremum ejus judicium convelli non debet. Quod si futuræ [10] pœnæ metu, voluntaria morte supplicium antevenerit, ratam voluntatem ejus conservari leges vetant. PP. Kal. Decembr. ipsis AA. & CONSS.

De sene, de ægroto, 1. de filiofamilias.

3. Iidem AA. & CC. Licinio.

SEnium [11] quidem ætatis, vel ægritudinem [12] corporis, sinceritatem mentis tenentibus, testamenti factionem certum est non auferre. §. 1. Filium autem qui in potestate est [13], testamentum facere non posse, indubitati juris est. Dat. 4. Non. April. *Sirmii*, CC. CONSS.

De impubere.

4. Iidem AA. & CC. Radoni.

SI frater patruelis tuus ante [14] decimum quartum [15] ætatis suæ annum decessit, cum facere non potuit testamentum: nihil recte ex ejus postremo judicio postulatur. Nam si hanc ætatem egressus, licet vigoris [16] nondum emersissent vestigia, suum solenniter ordinavit judicium: hoc evellere frustra conaris. S. 6. Id. Novembr. [illegible] CONSS.

De Eunuchis.

5. Imp. CONSTANTINUS A. ad Rufinum P. P.

EUnuchis [17] liceat facere [18] testamentum, componere postremas exemplo omnium [19] voluntates, conscribere codicillos [20] salva testamentorum observantia [21]. Dat. 5. Kal. Mart. *Sirmii*, CONSTANTINO A. V. & CONSTANTE C. CONSS. 339.

De eo qui Imperatorem heredem instituit.

6. Idem A. ad Volusium Præfectum urbi.

SI quis Imperatorem forte heredem instituerit [22], habeat [23] mutandi [24] judicii facultatem, & quemcunque voluerit, secundum leges in testamento suo heredem scribendi. Dat. 12. Kal. Mart. *Mediolani*, ARBITIONE & LOLLIANO CONSS. 355.

Si Imp. vel Augusta heres instituatur, vel testetur.

7. Imppp. VALENS, VALENT. & GRAT. AAA. Maximo.

CUm heredes instituuntur Imperator seu Augusta: jus commune [25] cum cæteris habeant. Quod [&] in codicillis, & fideicommissariis [26] epistolis [27] jure scriptis observandum erit. † Et sicuti priscis legibus cautum est, Imperatori quoque [28], & Augustæ testamentum facere liceat, & mutare [29]. Dat. 7. Id. August. GRATIANO A. II. & PROBO CONSS. 371.

De Cæcis.

8. Imp. JUSTINUS A. Demostheni P. P.

HAc consultissima lege sancimus, ut carentes oculis [30] seu morbo [vitiove,] seu ita nati, per [31] nuncupationem [32] suæ condant moderamina voluntatis: [scilicet] præsentibus [33] septem testibus [34], quos aliis quoque testamentis interesse juris est, tabulario etiam [35]: ut cunctis ibidem collectis, primum ad se convocatos omnes, ut sine scriptis [36] testentur, edoceant [37]: deinde exprimant nomina [38] specialiter heredum, & dignitates [39] singulorum, & indicia, ne sola [40] nominum commemoratio quicquam ambiguitatis pariat: & ex quanta parte, vel ex quot unciis in successionem admitti debeant: & quid unumquemque legatarium seu fideicommissarium adsequi velint: omnia denique palam [41] edicant quæ ultimarum capit dispositionum series lege concessa. Quibus omnibus ex ordine peroratis, uno eodemque loco, & tempore, sed & tabularii manu conscriptis sub obtutu [42] septem (ut dictum est) testium, & eorundem testium manu subscriptis, dehinc consignatis tam ab eisdem testibus, quam a tabulario, plenum obtinebit robur testantis arbitrium. Quæ in eundem modum erunt observanda, quamvis non heredes instituere, sed legata solum vel fideicommissa, & in summa quæ codicillis habentur congrua, duxerint ordinanda. † At cum humana fragilitas mortis præcipue cogitatione perturbata [43], minus [44] memoria possit res plures consequi: patebit eis licentia, voluntatem suam, sive in testamenti, sive in codicilli [45] tenore compositam, cui velint scribendam credere: ut in eodem [loco] postea convocatis testibus, & tabulario, re etiam (ut dictum est) patefacta cujus causa convocati sunt, etiam chartulare [46] promatur, quam susceptam testatori recitabit tabularius, simul & testibus: ut ubi tenor eorum cunctis innotuerit, elogium ipse suum profiteatur agnoscere, & ex animi [47] sui quæ lecta sunt, disposuisse sententia, & in fine subscriptio sequatur testium, necnon omnium signacula tam testium (prout dictum est) quam tabularii. Sed quia tabulariorum copia non in omnibus locis datur quærentibus: jubemus, ubi tabularius reperiri non possit, octavum [48] adhiberi testem [49]: ut quod tabulario pro supradicto modo commisimus, id per octavum testem effectum capiat: libera potestate concedenda voluntates suas in prædictum modum ordinantibus, chartulam ita subscriptam, ita denique consignatam, ut antelatæ formæ declarant, cui [50] velint ex testibus custodiendam [mandare [51]]. Sic namque fieri confidimus, ut non recipiat se tantum in cæcis testandi licentia, sed ne locum quidem ullum relinquat insidiis, tot oculis spectata, tot insinuata sensibus [52], tot insuper in tuto locata manibus [53]. Dat. Kal. Jun. *Constantinop.* JUSTINIANO & VALERIO CONSS. 521.

De Furiosis.

9. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

FUriosum [54] in suis induciis [55] ultimum condere elogium posse, licet ab antiquis dubitabatur, tamen & retro principibus & nobis placuit. † Nunc autem hoc decidendum est, quod simili modo antiquos [56] animos movit, si cœpto testamento furor eum invasit. Sancimus itaque [tale] testamentum hominis qui in ipso [57] actu testamenti adversa valetudine tentus est, pro nihilo esse. Si vero voluerit in dilucidis [58] intervallis aliquod condere testamentum, vel ultimam voluntatem, & hoc sana mente incœperit facere, & consummaverit, nullo tali morbo interveniente, stare testamentum sive quamcunque [59] ultimam voluntatem censemus: si & alia [60] omnia accesserint quæ in hujusmodi actibus legitima observatio requirit. Dat. Kal. Septemb. *Constantinop.* LAMPAD. & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De Surdis & Mutis.

10. Idem A. Joanni P. P.

DIscretis [61] surdo & muto, quia non semper hujusmodi vitia sibi concurrunt: sancimus, si quis utroque morbo simul laboret, id est, ut neque audire, neque loqui possit, & hoc ex ipsa natura [62] habeat:

1 Tunc enim requiritur sanitas mentis: neque superveniens ex irrito & nullo validum facit. 2 Perfecte ac plene. Nec enim cœptum tantum testamentum furore post superveniente pro perfecto habetur. *l.* 9. Ĵ. *h. t.* 3 Quod semper præsumitur. Sensus & ratio naturalis præsumitur in quolibet homine, nisi probetur contrarium. vid. Alciat. 1. *præsumpt.* 38. 4 *l.* 32. §. 7. *D. de donat. int. vir.* 5 Ὡς τὴν ζωὴν ἀποστρεφόμενος, id est, quasi vitam aversaretur. *Synops. Basil.* 35. *tit.* 3. *c.* 2. 5. Harm. 1. §. 41. 6 *l.* 6. §. 7. *vers. quod si quis. D. de injust.* *l.* 34. *de D. milit. testam.* *l.* 43. §. 4. *D. de ædil.* *l.* 5. Ĵ. *si reus vel accusator.* dixi ad *l.* 3. §. 4. *D. de bonis eor.* 7 Ἢ μανίας ἢ λύπης, ἢ πολυημέρου νόσου, hoc amplius addit 5. Harm. 1. §. 41. id est, aut furore, vel rabie constrictus, aut diuturno morbo detentus. *Synops. d. loco.* 8 Furoris rabies. 9 Aut pudore æris alieni. *l.* 45. §. 2. *D. de jure fisci.* 10 Sui interfector, ob metum pœnæ futuræ capitalis tamen, testari non potest, *ut hic.* vide *l.* 3. §. 1. 2. 3. 4. *D. de bon. eor. qui ante sentent.* Bellovisanum 3. *pract.* 38. *in pr.* 11 De senibus dixi ad *l.* 5. *D. de jure immunit.* 12 *l.* 17. *D. h. t.* *l.* 27. Ŝ. *de transact.* An & qui elephantiasi seu lepra laborat? potest: ut qui expresse non prohibeatur, & ita judicatum fuisse refert Pap. 29. *arrest.* 1. *n.* 16. 13 Filiusfam. de profectitiis & adventitiis ne quidem patre permittente testari potest. *l.* 6. & 16. *D. h. t.* de adventitiis quorum ususfructus patri non quæritur, potest. *l. ult.* §. 5. *vers. filiis.* Ĵ. *de bon. quæ lib. Nov.* 98. *c.* 1. §. 1. vid. Wurmf. 1. *pract.* 30. *obs.* 16. Potest etiam de castrensibus & quasi testari. *l.* 7. §. 6. *D. de donat.* Paul. 3. *sent.* 4. §. 3. ut & donare causa mortis, patris consensu *l.* 7. §. 5. *D. de don.* 14 Ante pubertatem, id est pupillo, seu impuberi testari non licet. *l.* 5. *l.* 19. *D. h. t.* §. 1. *Inst. h. t.* *l.* 1. §. 8. *D. de B. P. secund. tab.* *l.* 2. Ĵ. *quando provoc.* 2. Cajus 2. §. 3. Paul. 3. *sent.* 4. §. 1. 15 De pubertate alias dixi. 16 Vid. quæ dixi ad *l. ult. supr. quando tut. esse des.* 17 *l.* 6. *D. de lib. & posthum.* Cujac. 17. *obs.* 24. hoc verbum referri posse ait ad cubicularios principum. *l.* 2. Ĵ. *de præpos. sacri cubic.* *l.* 2. Ĵ. *de priv. eor. qui in palat. milit.* ut etiam si servi sint, habeant testamenti factionem (quemadmodum *Novella Leonis* 38. generaliter de servis principis constitutum est) vel ad eunomianos spadones, quibus *l.* 17. *C. Th. de hæret.* ademerat testamenti factionem: cui rei magnum argumentum præbet *l.* 23. & 27. *d. tit.* 18 Causa dubitandi fuit, quod solis puberibus testandi facultas sit permissa, eunuchi vero non ita pubescant. Ideoque Alexander Severus eunuchos, tertium genus hominum appellavit, teste Lampridio, ob eandem causam consul Mamercus Genucio bonorum possessionem secundum tabulas denegavit. 7. *Val.* 7. 19 Id est, eadem ætate. Olim anno decimo octavo tantum eunuchis testari licuit, cum eo tempore plerique pubescant. Paul. 3. *sent.* 4. §. 2. 20 Eunuchus testamentum facere potest, Ŝ. *h. t.* codicillos, *ut hic*, adoptare. *Nov. Leon.* 26. potest etiam episcopus esse. dixi *c.* 20. 21. *Can. Apost.* non potest uxorem ducere. *Novell. Leon.* 98. adde alia quædam de eunuchis ex *lege* 128. *D. de verb. sign.* & ex *tit. de eunuchis supr.* 21 Id est, solennitate: Principes, licet indulgeant testamenti factionem, non tamen remittunt juris solennia. facit *l.* 3. §. 3. *D. de bon. lib.* *l.* 35. *supr. de inoff. test.* 22 Potest enim princeps heres institui. *l.* 16. Ĵ. *de testam.* Possumus etiam jactare, nos principem heredem facturos: cujusmodi jactatio pro institutione non habetur. *l. ult. D. qui testam.* 23 Princeps in multis jure privatorum utitur. vide *l.* 7. Ĵ. *h. t.* *l.* 3. *infr. de testam.* *l.* 4. Ĵ. *ad l. Falc.* 1. Harm. 5. §. 39. 24 Principem institutum a nobis heredem possumus revocare seu exheredare. *l.* 19. *vers. nec sane.* Ĵ. *de testam.* tametsi ea inconstantia, princeps videatur injuria quodammodo affici, & ludibrio haberi. 25 Vide *l.* 6. Ŝ. *h. t.* 26 Ab Imperatore herede instituto fideicommissum & legatum dari potest. Paul. 4. *sent.* 1. §. 3. 27 Per epistolam fideicommissum principi relinqui potest, ut hic. *l.* 16. Ĵ. *de testam.* Principes fideicommissa ex codicillis, ex epistolis non admittebant. *l.* 2. *C. Th. de testam. & codicill.* Justinianus hanc Valentis prætulit. Quædam hic adjecta ex Symmacho vid. apud Cujac. 5. *observ.* 7. 28 Imperatori & Augustæ testamentum mutare licet. 29 Ratio dubitandi fortasse potuit hæc esse, quod mutatio videatur principe indigna. 30 Cæcus testamentum facere potest, *ut hic.* Cur ita? quia accire potest adhibitos testes & audire sibi testimonium perhibentes. Paul. 3. *sentent.* 4. §. 4. vide quæ de cæco dixi ad *Novell. Leon.* 69. Goth. Ad hanc l. vide Gabriel. Vasq. *de testam. c.* 1. §. 5. Molin. *disput.* 130. Durant. *de arte test. tit.* 1. *caut.* 9. Ans. 31 Id est, ἀγράφως, citra scripturam. *Syn. Bas.* 35. *tit.* 3. *c.* 8. 32 Cæcus nuncupativum testam. facere potest, si tamen fari potest: adde quæ dicam ad *l.* 21. Ĵ. *de test.* 33 Testari ad pias causas cæcus an possit hac forma non servata, vide apud Tiraquellum 20. *privilegio piæ causæ.* 34 §. 2. *Instit. de testament.* ἑπτὰ ἢ ε΄, id est, septem aut quinque. *Synopsis Basil.* 35. *tit.* 3. *cap.* 8. & 5. Harmen. 1. §. 3. 35 Ut sint octo. Totidem enim requiruntur in cæci testamento. De numero testium in testamento necessariorum dixi ad *Novell. Leonis* 41. 36 Cæcus sine scripto testari potest, *ut hic*: Leonis vero constitutione secreto testamentum facere potest. *Novell. Leonis* 69. ἐγγράφως 35. *Synopsis* 3. *c.* 8. *in fin.* 5. Harmen. 1. §. 34. 37 Formularum veterum verba hodie in testamentis non requiruntur. *l.* 26. *in fin.* Ĵ. *de testam.* 38 Τὸ ὄνομα καὶ τὰ σημεῖα, καὶ τὰ ἀξιώματα τῶν κληρονόμων, id est, nomen, indicia & dignitates heredum. *Synops. Basil. d. c.* 8. Cæcus enim debet heredem nuncupare, κατὰ σημεῖον διὰ τὸ μὴ πλαγχθῆναι. hoc est, certis & indubitatis signis heredem exprimere, ut ne ullus error in ea institutione oboriatur. 5. Harm. 1. §. 31. 39 Adde *l.* 17. *D. de conditionibus & demonstrationibus.* *l.* 14. *D. de fideicomm. lib.* *l.* 37. *in fin. D. de stipul. servor.* 40 Propter solum nomen potest ambiguitas oriri. *l.* 30. *D. de testam. tut.* *l.* 106. *D. de verb. oblig.* 41 Palam quid sit, vide *l.* 21. *D. h. t.* 42 Id est, sub præsentia. 43 Humana fragilitas mortis cogitatione perturbatur. 44 Morti vicinum non esse examinandum in testem hinc colligunt: quod tamen examinantis arbitrio præstat relinqui. Morientem quoque non recte testari, neque eam facultatem in mortis articulo constitutis, permittendam esse, ut de suis testentur, hinc colligunt. 45 Codicillos cæcus facere, ut & testamentum potest. 46 Forte, chartula depromatur, unde mox sequitur *quam susceptam.* 47 Testamentum animi sententia. 48 Octo testes (si tabularius desit) requiruntur in cæci testamento. dixi ad *Novell. Leon.* 41. 49 Unus testis hic subrogatur in locum tabellionis. An ideo dicendum est, tabellionem testem esse? Bald. negat tabellionem connumerari inter testes. Nam alinquin uno teste adhibito testis alterius vicem notarius sustineret: si tamen in judicio de sua scriptura deponit, audiri potest, ut testis, non ut tabellio. 50 Testamentum uni testium custodiendum dari potest. 51 Ea lege, ut quoties eo opus fuerit, id exhibeat. *l.* 24. Ĵ. *de fideic.* 52 Oculis & auribus. 53 Hoc est, subscriptionibus. 54 De furiosi testamento. De mente capto, vide *l.* 17. *D. h. t.* Neuter enim, id est, furiosus vel demens tempore adversæ valetudinis testari potest. *l.* 16. §. 1. *l.* 17. *D. h. t.* *l.* 2. *D. de inoff.* *l.* 1. §. 8. *D. de B. P. secund. tab.* 55 Id est, dilucidis intervallis. Ĵ. *h. t.* 56 Eo sensu antiqui animi dicuntur, quo veteres animi in *l.* 3. Ĵ. *de posth. her. inst.* *l.* 23. *in pr.* Ĵ. *de leg.* 57 Ἐν αὐτῷ τῷ διατίθεσθαι. 33. *Eclog.* 3. *c.* 9. 58 Ἐν τοῖς διαλείμμασι 35. *Eclog.* 3. *c.* 9. 5. Harm. 1. §. 15. quæ & intervalla dicuntur simpliciter in *l.* 14. *vers. Si vero. D. de offic. præsid.* 2. Caj. 2. §. 4. §. 5. confinia furoris & sanitatis in *l.* 6. *vers. Nos itaque.* Ŝ. *de curat. fur.* tempus intermissi furoris a Paul. 3. *sent.* 4. §. 5. & §. 1. *Inst. eod. inducia.* Ŝ. *h. t.* 59 Codicillos, mortis causa donationes. 60 Solennitates intelligit in aliorum testamentis requisitas. 61 Non habet quo referatur hæc oratio, nisi legas de discretis. 62 Mutus & surdus simul a natura testamentum aut codicillos, aut mortis causa donationem facere non potest, imo nec libertatem conferre, *ut hic. Synops. Basil.* 35. *tit.* 3. *c.* 10. 5. Harm. 1. §. 17. 18. Ne dicas cum interpretibus, Paganis testamenti factionem a Principe eo casu permitti ex *l.* 7. *D. h. t.* ipso vero jure militi. §. 2. *Inst. de militar. testam.* utrobique enim agi existimandum est de his, qui simpliciter vel surdi vel muti sunt. Nam qua ratione paganus mutus & surdus a natura, principi testamenti faciendi causa supplicaverit? quo motu quibusve gesticulationibus mutus eodem casu heredem instituet? dicendum est igitur, paganos mutos vel surdos simpliciter testamenti factionem olim a principe petere debuisse. *d. l.* 7. militibus a lege permissum fuisse. *d.* §. 2. hic autem omnibus surdis vel mutis permitti. Quod de surdo diximus, ne sumas de eo, qui tarde vel exaudit, vel loquitur: sed de eo qui nihil omnino natura exaudit, quique nihil penitus loqui potest. §. 3. *Instit. h. t.* adde Ulpianum 20. §. 13. *l.* 3. *D. de adilitio.*

CODEX.

[Kk] 2

neque